

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XII - N. 2

1980

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 410 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1980

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutiones

I. Ad particeps IV Conventus Internationalis de Iure Canonico Friburgi in Helvetia celebrati	203
II. Ad Patres Synodales in Sacello Sixtino ad concludendum V Coetum Generalem Synodi Episcoporum	208

EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

I. Relatio de opera Signaturae Apostolicae in causis matrimonialibus pro tuenda familia	215
II. Relatio Pontificiae Commissionis CIC recognoscendo:	
1. De labore a Commissione peracto et peragendo	220
2. De iure Familiae in Schemate CIC	225

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

Responsa ad proposita dubia	234
<i>Pontifícia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis</i>	
Responsa ad proposita dubia	235

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis Schematibus canonum

I. Coetus studiorum « De Populo Dei »	236
II. Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus sacris deque Cultu divino »	319
III. Coetus studiorum « De bonis Ecclesiae temporalibus »	388

DOCUMENTA

I. De Indicibus operis Acta Synodalia S. Concilii Oecumenici Vaticani II	436
II. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera Signaturae Apostolicae	438
III. Disceptatio circa Relationem in Synodo Episcoporum habitam de opera Recognitionis Codicis Iuris Canonici	451
IV. Certaminis Vaticani celebratio	456
NOTITIAE	459

Can. 21 (can. 1520, § 3)

Episcopus dioecesanus ad actus ponendos administrationis maioris momenti Consilium a rebus oeconomicis de quo in can. 306 (De Populo Dei) audire debet; eiusdem tamen Consilii assensu eget, praeter casus iure universalis vel tabulis fundationis specialiter expressos, etiam ut expensas faciat extraordinarias, quae scilicet ob adiuncta specialia in ratione erogationum non praevisas admittendas existimet.

— Suggestum est ut Episcopus ad actus ponendos administrationis maioris momenti audiat non solum Consilium a rebus oeconomicis sed etiam alterum organum dioecesanum, ita ut duplex habeatur votum de re agenda. Suggestio placet Consultoribus, qui decernunt ut audiatur etiam Collegium Consultorum de quo in can. 316 (De Populo Dei).

— Nonnulli petierunt ut melius determinetur quinam sint actus administrationis maioris momenti. Unus Consultor censem normam esse claram, quin aliqua determinatio addatur; ceterum cum Episcopus non indigeat consensu, sed tantum audire debeat, ulterior determinatio esset fere inutilis. Alii Consultores autem censem opportunitatem esse aliquam determinationem quae respiciat statum oeconomicum dioecesis, a quo praescindi non potest ad videndum quinam actus sint maioris momenti; quare ipsi ita formulam canonis emendare volunt:

« Episcopus dioecesanus ad actus administrationis ponendos qui, attento statu oeconomico dioecesis, sunt maioris momenti, consilium a rebus oeconomicis et collegium Consultorum audire debet... ».

— Circa alteram partem canonis Consultor quidam proponit ut ita redigatur: « eorundem tamen consensu eget, praeter quam in casibus iure universalis vel tabulis fundationis specialiter expressis, ad ponendos actus extraordinariae administrationis ». Haec propositio omnibus placet.


SESSIO II

(diebus 12-16 novembri 1979 habita)

Adunatio diei 12 novembri 1979

Can. 22

Praeter munera de quibus in can. 308 (De Populo Dei) Oeconomus committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 20, § 1 et 24.



— Nonnulli dubitaverunt de opportunitate committendi Oecono
munera de quibus in can. 24. Consultores non ita sentiunt et paeferunt
ut relinquatur Episcopo facultas iudicandi de opportunitate conferendi
illa munera vel non Oecono dioecesano.

— Suggestum est ut in fine canonis addatur: « salva responsabilitate
Episcopi de vigilantia recte agenda ». Consultores censem talem
clausulam esse superfluam, cum pro comperto sit Episcopum talem re
sponsabilitatem habere.

Can. 23 (novus; cf. can. 1182)

*Administratio bonorum personae iuridicae publicae penes eum est,
qui immediate regit personam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud
ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo.*

— Iuxta criteria iam approbata, initio canonis dici debet: « Admin
istratio bonorum ecclesiasticorum penes eum... ».

— Suggestum est ut dicatur « ei competit » loco « penes eum est ».
Suggestio omnibus placet.

— Nonnulli proposuerunt ut addatur norma qua tribuatur Ord
inario loci facultas ut ipse pro administratore agere possit quando admin
istrator abnuat vel negligat aliquid negotium, quod, de iudicio ipsius
Ordinarii, utile sit pro persona iuridica vel pro bono communi. Unus
Consultor sententiam negativam exprimit circa hanc quaestionem et cen
set ad rem sufficere normam can. 86 (De processibus), vi cuius ipse Ord
inarius per se vel per alium stare potest in iudicio nomine personarum
iuridicarum quae sub eius iurisdictione sunt, in casu defectus vel negli
gentiae legitimi repraesentantis. Etiam alter Consultor sententiam nega
tivam profert, quia secus Episcopus evaderet administrator unicus
omnium bonorum ecclesiasticorum in dioecesi.

Cum tertius Consultor faveat illi propositioni, arguens ex necessitate
fovendi bonum publicum, alii Consultores accedunt ut illa facultas tri
buatur Ordinario in casu tantum negligentiae administratoris. In casu
autem diversae opinionis administratoris et Ordinarii circa opportuni
tatem faciendi aliquid negotium, prudentius videtur ut Ordinarius
recurrat ad S. Sedem.

His dictis, canon ita completur « ... et salvo iure Ordinarii interve
niendi in casu negligentiae administratoris ».

— Aliquis Consultor proponit ut addatur alia § de obligatione omnis
personae iuridicae habendi consilium administrationis. Duo alii Consul

tores censem nimum esse omnes personas iuridicas obligare ad consilium administrationis constituendum et proponunt ut detur optio habendi *saltem duos consiliarios*. Cum haec propositio placeat etiam aliis Consultribus, ita formula canonis redigitur: « Quaevis persona iuridica suum habeat consilium administrationis vel saltem duos consiliarios, qui administratorem ad normam statutorum in munere adimplendo adiuvent ».

Hic canon poni debet post can. 24.

Can. 24 (can. 1521, § 1)

In administratione bonorum personae iuridicae publicae, quae ex iure vel tabulis fundationis aut propriis statutis suos non habent administratores, Ordinarius assumat viros idoneos, qui elapso triennio a munere cessant, nisi ab Ordinario iterum nominentur.

— Suggestum est ut dicatur « personas idoneas » loco « viros idoneos », ut etiam mulieres includantur. Propositio placet Consultribus.

— Ex suggestione alicuius Organi consultationis, Consultores ita formulam mutant: « ... Ordinarius, cui eadem subiecta est, assumat personas idoneas ad triennium; eadem ab Ordinario iterum nominari possunt ».

— Consulor quidam proponit ut can. 24 sit § 2 canonis 23. Propositio omnibus placet.

Can. 25 (can. 1527)

§ 1. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 2. Episcopi dioecesani est, postquam Consilium a rebus oeconomicis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive universalis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modus excedant.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, persona iuridica non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus autem ab administratoribus illicite sed valide positis respondebit ipsa persona iuridica, salva eius actione adversus administratores qui damna eidem intulerunt.

— Aliquis Consultor animadvertisit administratores ad ponendos actus extraordinariae administrationis indigere facultate Ordinarii de qua in § 1, sed simul obtemperare debere normis statutorum; quod quidem in canone expresse dici debet, ne quis censeat per facultatem datam ab Episcopo iam non teneri normis statutorum. Cum suggestio placeat Consultoribus, initio § 1 adduntur haec verba: « Firmis statutorum praescriptis, administratores invalide ponunt ... ».

— Alter Consultor proponit ut in § 1 dicatur « a competenti superiori » loco « ab Ordinario », ne quis censeat sufficere licentiam Ordinarii etiam quando lex praescribit licentiam S. Sedis. Alii Consultores non ita sentiunt, quia genus per speciem derogatur, et ideo, si lex aliquando ita praecipit, licentia quoque S. Sedis impetrari debet. Fit suffragatio an placeat haec propositio alterius Consultoris: placet 1, non placet 4.

— Consultor quidam proponit ut dicatur « datam » loco « dandam » (placet omnibus).

— Suggestum est ut dicatur « obtinuerint » loco « impetraverint » (placet omnibus).

— Circa quaestionem quibusnam competit determinare actus qui excedant fines et modos ordinariae administrationis, de quibus in § 2, nonnulli suggesserunt ut tale ius tribuatur Episcoporum Conferentiis, alii autem suggesserunt ut circa hanc rem praxis administratorum bonorum ecclesiasticorum conformetur principiis generalibus quae omnibus ordinamentis civilibus sunt communia. Unus Consultor accedit huic alterae suggestioni. Alter Consultor autem proponit ut in statutis personae moralis definiantur actus qui excedunt finem et modum ordinariae administrationis; silentibus vero statutis, competit Ordinario diocesano illos actus definire. Haec propositio alterius Consultoris placet aliis et ideo formula § 2 ita mutatur: « In statutis definiantur actus qui finem et modum ordinariae administrationis excedunt; si vero de hac re sileant statuta, competit Ordinario diocesano, auditio consilio a rebus oeconomicis, huiusmodi actus pro personis sibi subiectis determinare ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 4, non placet 1.

— Aliquis Consultor proponit ut in § 3 dicatur « illegitime » loco « illicite » (omnibus placet).

— Nonnulli suggesserunt ut in § 3 addatur: « ... salva eius actione seu recursu adversus administratores ... », ita ut admittatur etiam recursus administrativus praeter actionem iudicialem (omnibus placet).

— De sententia quorumdam Organorum consultationis caveri etiam debet de iuribus illorum qui bona fide forte damnum capiant ex actibus invalide vel illegitime positis, de quibus in § 3. Consultores respondent de hac quaestione iam provisum esse per can. 117 De normis generalibus.

Can. 26 (can. 1521, § 2)

Omnes, sive clerici sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, ad normam iuris.

— Dici debet « ... bonorum ecclesiasticorum ... ».

— Nonnulli suggesserunt ut hic ponatur norma quae habetur in can. 256 M.P. « Postquam Apostolicis » circa obligationem inscribendi bona temporalia nomine personae moralis ad quam pertinent, servatis omnibus legis civilis praescriptis quae ius Ecclesiae in tuto ponant. Consultores hanc suggestionem accipiunt; de ipsa autem rationem habere volunt in can. 28, § 2.

Can. 27 (can. 1522)

Antequam administratores bonorum suum munus ineant:

1º debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario vel eius delegato iureiurando caveri;

2º accuratum ac distinctum inventarium, ab ipsis subscriendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earumdem redigatur, redactumque recognoscatur;

3º huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.

— Initio canonis deleri debet verbum « bonorum » utpote superfluum.

— Suggestum est ut in n. 1º non imponatur iuramentum, sed tantum requiratur promissio de munere fideliter adimplendo. Unus Consultor accedit huic propositioni, sed alii Consultores sunt contrarii.

— Nonnulli suggesserunt ut, praeter iuramentum, nonnullae, cautiones civiliter validae requirantur, ita ut, in casu damni ab administratore illati, persona moralis resarciri possit ex bonis ipsius administratoris. Consultores respondent de hac re sufficienter provisum esse in can. 25, § 3.

Can. 28 (can. 1523)

§ 1. Omnes administratores bonorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

1º vigilare ne bona suaे curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant, initis in hunc finem, quatenus opus sit, contractibus adsecurationis;

2º praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;

3º redditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;

4º foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem opportune reddendam curare;

5º pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines Ecclesiae vel instituti occupare;

6º accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

7º rationem administrationis exeunte unoquoque anno componere atque ad Ordinarium transmittere;

8º documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivo convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo Curiae deponere.

§ 3. Provisiones accepti et expensi ut ab administratoribus quotannis componantur enixe commendatur; iuri autem particulari relinquitur eas praecipere et pressius determinare modos quibus exhibenda sint.

— Expungi debet e § 1 verbum « bonorum » utpote superfluum.

— Ex suggestione facta ab aliquibus Organis consultationis additur in § 2 sequens norma quae erit n. 1 bis: « Curare ut proprietas bonorum ecclesiasticorum modis civiliter validis in tuto ponantur ».

— Suggestente aliquo Consultore in § 2, n. 2 adduntur verba haec: « ... imposta sint, praesertim cavere ne ex legum civilium inobservantia damnum Ecclesiae obveniat ».

— Expunguntur e § 2 n. 7 verba « atque ad Ordinarium transmittere », quia de hac re fuse agitur in can. 31, § 1.

Adunatio diei 13 novembris 1979

Can. 29 (can. 1535)

Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianaee caritatis facere.

— Nonnulli crisim fecerunt de locutione « patrimonium stabile », quae apta erat conditionibus rerum praeteritorum, sed nostris temporibus non idonea videtur, attenta mobilitate et fluiditate oeconomiae hodiernae. Consultores autem concordant circa necessitatem ponendi aliquem limitem (uti fit in can. 29), quod fieri nequit nisi sumendo notionem aliquam conventionalem per verba « patrimonium stabile » indicatam.

Can. 30 (can. 1524)

Administratores bonorum:

1º in operarum locatione leges etiam civiles, quibus labor et vita socialis dirigitur, adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita;

2º iis, qui operam ex condicto praestant, iustum et honestam mercudem tribuant ita ut eisdem facultates praebantur suam suorumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate colendi.

— Suggestum est ut in n. 1 addatur « ... adamussim servent vel ad melius trahant, iuxta ... ». Consultores censem talem additionem non esse necessariam; qui enim vult, potest, libere et laudabiliter, meliores conditiones in operarum locatione offerre, quin in Codice aliquid dicatur.

— Circa § 2 nonnullae suggestiones factae sunt ut alia addantur quae pertinent ad promotionem humanam operariorum. Consultoribus placet textum canonis retinere uti est.

Can. 31 (can. 1525)

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum, quae ex Ordinarii loci potestate regiminis non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Ordinario exhibendi, qui eas Consilio a rebus oeconomicis examinandas committat.

§ 2. De bonis, quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur, administratores, nisi iusta causa aliud suadeat, rationes eisdem fidelibus reddere debent iuxta modum iure particulari statuendum.

- In § 1 dici debet « ... quorumvis bonorum *ecclesiasticorum* ... ».
- Suggestum est ut in § 1 addatur: « ... qui eas examinandas committere potest Consilio a rebus oeconomicis *vel Oeconomio Curiae* ». Unus Consultor accedit huic propositioni, sed alii Consultores sunt contrarii.
- Nonnulli proposuerunt ut obligatio reddendi rationes, de qua in § 2, extendatur ad omnia bona ecclesiastica. Consultores non opportunum id censem, etsi admittant quod laudabiliter rationes redi possunt ubi circumstantiae id suadeant; putant tamen Consultores circumstantias favorabiles difficulter de facto haberi posse, nisi quando rationes reddantur fidelibus *uti fidelibus*, quando scilicet tales fideles cum Ecclesia sentiant et bene edocti sint de finibus ob quos Ecclesiae licet bona temporalia possidere.
- Suggestum est ut e § 2 expungatur verbum « eisdem » (omnibus placet).
- Nonnulli proposuerunt ut in § 2 dicatur « decent » loco « debent ». At Consultores retinere volunt verbum « debent », quia sufficienter in canone cavetur per clausulam « nisi iusta causa aliud suadeat ».

Can. 32 (can. 1526)

Administratores litem nomine Ecclesiae ne inchoent neve contestentur in foro civili nisi licentiam scripto datam Ordinarii proprii et Ordinarii loci obtinuerint.

- Consultores decernunt ut dicatur « ... nomine personae *iuridicae publicae* » loco « nomine Ecclesiae ».
- Loco licentiae Ordinarii loci ad litem inchoandam, nonnulli proposuerunt ut requiratur potius licentia Ordinarii *rei sitae*, alii autem proposuerunt ut sufficiat notificatio Ordinario facta de lite inchoata. Consultor quidam vero proponit ut requiratur tantum licentia Ordinarii proprii.
- Post brevem discussionem, Consultores accedunt ad propositionem requirendi tantum licentiam Ordinarii proprii.

Can. 33 (cann. 1525, 1526, 1926)

§ 1. Si controversia de bonis temporalibus oriatur, Ordinarius vel iudex partes hortetur ut, quantum fieri potest, per transactionem componatur.

§ 2. In transactione serventur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri canonico adversentur.

— Attentis cann. 377-378 schematis De processibus, quibus dantur normae de modis evitandi iudicia, Consultoribus placet can. 33 supprimere.

Can. 34 (can. 1528)

Etsi ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, administratores munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittere nequeunt.

— Ex suggestione duorum Consultorum dici debet « etiamsi » loco « etsi » et supprimi debent verba « expresse vel tacite ».

— Ex suggestione autem cuiusdam Organi consultationis canon completur his verbis: « ... dimitttere nequeunt; quod si ex arbitraria dimissione damnum Ecclesiae obveniat, ad restitutionem tenetur ».

TITULUS IV

DE ACQUISITIONE, DE ALIENATIONE ET SPECIATIM DE CONTRACTIBUS

Can. 35 (can. 1499, § 1)

Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi, quibus id alii licet.

— Consultores decernunt ut rubrica huius tituli sit « De contractibus praesertim de alienatione ».

— Can. 35 translatus fuit sub Tit. I De acquisitione bonorum.

Can. 36 (can. 1530)

Ad alienanda bona quae personae iuridicae ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur licentia auctoritatis ad normam iuris competentis, sine qua alienatio invalida est.

— Consultores decernunt ut dicatur « personae iuridicae publicae », loco « ecclesiasticae ».

— Aliquis Consultor proponit ut canon melius coordinetur cum canone sequenti et ideo ita mutetur: « Ad valide alienanda ... stabile

constituant et quorum valor summam iure definitam excedit, requiritur licentia auctoritatis ad normam iuris competentis ». Propositio haec omnibus placet.

Adunatio diei 14 novembris 1979

Can. 37 (can. 1532)

§ 1. *Salvo iure Institutorum vitae consecratae legitima auctoritas de qua in can. 36 quoad personas iuridicas publicas iuris dioecesani est loci Ordinarius qui audire tenetur Consilium a rebus oeconomicis et consensum habere eorum quorum interest.*

§ 2. *Si tamen agatur de rebus quarum valor summam a Conferentia Episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, licentia loci Ordinarii prius confirmari debet a commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia constituta.*

§ 3. *Si agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa, vel de quibusvis bonis quorum valor excedeit duplo summam a Conferentia Episcopali ad normam § 2 definitam, auctoritas competens ad valide agendum etiam licentiam Sanctae Sedis obtinere debet.*

§ 4. *Si res alienanda sit divisibilis, in petenda licentia vel confirmatione pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est.*

§ 5. *Ii qui in alienandis bonis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebeant consilium vel consensum nisi prius exakte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae iuridicae cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis.*

— Nonnulli quaesierunt utrum clausula initialis (« salvo iure Institutorum vitae consecratae ») remittat ad constitutiones. Exc.mus Secretarius respondet illa verba remittere ad partem Codicis de Institutis vitae consecratae, ubi erunt peculiares normae de administratione bonorum.

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1 dicatur « personas iuridicas sibi subiectas » loco « personas iuridicas publicas iuris dioecesani ». Propositio omnibus placet.

— Nonnulli quaesierunt quaenam sit legitima auctoritas pro personis iuridicis supradiecesanis. Consultores concordant circa necessitatem ali-

quid statuendi circa hanc quaestionem et decernunt ut in § 1 addantur:
« Quoad personas iuridicas supradioecesanas et Ordinario loci non subiectas auctoritas competens est quae propriis statutis definitur ».

— De sententia cuiusdam Consultoris norma § 1 plus exigit quam can. 1532 § 3 CIC. Ibi enim non exigitur licentia Ordinarii pro alienatione rerum quarum pretium continetur infra mille libellas; in nostro canone vero exigitur licentia Ordinarii etiamsi res minimi valoris sit, dummodo ad patrimonium stabile personae moralis pertineat.

Consultores hanc suggestionem bene accipiunt et ideo in § 1 additur « ... quoad personas iuridicas sibi subiectas, si summa exceditur iure particulari statuta, est loci Ordinarius ... ».

— Quoad § 2 plura Organa consultationis animadversiones fecerunt eo quod « licentia loci Ordinarii prius confirmari debet a commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia constituta ». Huiusmodi facultas, Conferentiae Episcopali concessa, permultis non opportuna videtur; immo non desunt qui illam respuunt uti indebitum interventum Conferentiae in regimine dioecesis. Huc accedit difficultas quam habent Episcoporum Conferentiae praedisponendi organa idonea pro examinandis actis ad licentiam Episcopi confirmandam.

Consultores, iuxta criterium iam initio statutum, expungendi scilicet a Schemate ea quae aliquo modo legitimam autonomiam Episcopi dioecensi infiant, decernunt ut § 2 deleatur.

— Suppressa § 2, aliquis Consultor proponit ut tribuatur Episcoporum Conferentiis facultas statuendi sive summam minimam infra quam non requiritur licentia ad faciendas alienationes, sive summam maximam, ultra quam requiritur licentia S. Sedis. Propositio haec omnibus placet.

— Nonnulli suggesserunt ut non requiratur licentia S. Sedis ad alienandas res ex voto donatas, si earum pretium sit infra aliquam summam a iure definiendam. Consultores, uno tantum excepto, censem in re tanti momenti, quae pietatem fidelium tangit, cauto esse procedendum et ideo opportunum videtur ut semper adeatur S. Sedes.

— His omnibus disceptatis, proponitur ut canon his verbis redigatur:

§ 1. Salvo iure Institutorum vitae consecratae, cum valor bonorum quorum alienatio proponitur continetur intra summam minimam et summam maximam ab Episcoporum Conferentia pro sua cuiusque regione definiendas, auctoritas competens, si agatur de personis iuridicis Ordinario loci non subiectas, propriis determinatur statutis; si vero agatur de personis sibi subiectis auctoritas competens est loci Ordinarius cum consensu consilii a rebus oeconomicis et eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus quarum valor summam maximam excedit, aut de rebus ex voto Ecclesiae donatis, vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa, ad validitatem alienationis requiritur insuper licentia S. Sedis.

§ 3. Si res alienanda sit divisibilis, in petenda licentia exprimi debent partes antea alienatae; secus licentia irrita est.

§ 4. = § 5 Schematis.

Adunatio diei 14 novembris 1979

Can. 38 (can. 1530)

§ 1. *Ad alienanda bona requiritur insuper:*

1º iusta causa veluti urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas, bonum pastorale;

2º aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta.

§ 2. *Aliae quoque cautelae a legitimo superiore praescriptae serventur ut Ecclesiae damnum vitetur.*

— Suggestiones factae sunt de verbis « bonum pastorale », non nullis potentibus ut supprimantur utpote superflua, aliis vero potentibus ut substituantur pro verbis « vel alia ratio pastoralis ».

Consultores decernunt ut dicatur « vel gravis alia ratio pastoralis » loco « bonum pastorale ».

— Suggestum est ut dicatur « legitima auctoritate » loco « legitimo superiore » (omnibus placet).

— Nonnulli proposuerunt ut in § 2 addatur: « ... damnum vitetur et bono Ecclesiae vel Instituti religiosi provideatur ». Propositio non placet Consultoribus, quia hoc modo nimis exigeretur a legitima auctoritate.

Can. 39 (can. 1531)

§ 1. *Res alienari minori pretio ordinarie non debet quam quod in aestimatione indicatur.*

§ 2. *Pecunia ex alienatione percepta vel in commodum Ecclesiae caute collocetur, vel iuxta alienationis fines, prudenter erogetur.*

— De sententia cuiusdam Consultoris hic canon supprimi posset quia continet normas obvias, sed alii Consultores non ita censem.

— Nonnulli crisim fecerunt de verbo « ordinarie », quod habetur in § 1, quia per ipsum vis normae enervatur; ideo proposuerunt ut deleatur, vel eius loco dicatur « nisi gravis causa aliud suadeat ».

Consultores censem verbum « ordinarie » supprimi non posse, quia opportunitas alienandi rem aliquam pendet non exclusive a pretio sed etiam ab aliis circumstantiis quae intervenire possunt.

Can. 40 (can. 1533)

Sollemnitates ad normam cann. 36, 38 et 39 requiruntur non solum in alienatione, sed etiam in quolibet negotio quo conditio patrimonialis Ecclesiae peior fieri possit.

— Consultores concordant ut dicatur « personae iuridicae » loco « Ecclesiae ».

— Ex suggestione cuiusdam Organi consultationis, Consultoribus placet addere normam qua praecipiatur ut in statutis recenseantur sollemnitates requisitae, ita ut negotia canonice invalida ob inobservantiam sollemnitatum, sint etiam civiliter invalida. Ideo in canone adduntur haec verba: « Sollemnitates ad normam cann. 36, 38 et 39, quibus etiam statuta personarum iuridicarum conformari debent, requiruntur non solum ... ».

Can. 41 (can. 1534)

Si quando bona sine debitibus quidem sollemnitatibus canonicis alienata fuerint, sed alienatio sit civiliter valida, auctoritatis competentis est decernere, omnibus mature perpensis, an et qualis actio, personalis scilicet vel realis, a quonam et contra quemnam instituenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda.

— Initio canonis dici debet: « Si quando bona ecclesiastica ... ».

— Nonnulli suggesterunt ut deleatur verbum « an » ita ut ex tenore huius canonis melius appareat firma voluntas praecavendi vel reparandi damna quae obvenire possint patrimonio ecclesiastico. Consultores autem sunt contrarii ut deleatur illud verbum.

— Suggestum est ut addantur in canone haec verba: « ... ad Ecclesiae iura vindicanda, non exclusa, si opus fuerit, privatione sontis ab officio ». Suggestio non placet Consultoribus, quia talis provisio pertinet ad ius poenale.

Can. 42 (can. 1541)

§ 1. *In locatione bonorum serventur leges civiles.*

§ 2. *Firmo praescripto § 1, Conferentiae Episcoporum est, attentis locorum adiunctis, normas statuere de bonis Ecclesiae locandis, praesertim de licentia a competenti auctoritate ecclesiastica obtainenda.*

— Aliquis Consultor proponit ut § 1 supprimatur, quia quoad locationem quoque valet norma generalis can. 44, scilicet de remissione contractuum ad ius civile. Propositio omnibus placet.

Consequenter e § 2 expungi debent verba « firmo praescripto § 1 »..

Can. 43 (can. 1540)

Nisi res sit minimi momenti, bona Ecclesiae propriis administratoribus eorumve coniunctis usque ad quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum non sunt vendenda aut locanda sine speciali competentis superioris licentia scripto data.

— Dici debet « bona ecclesiastica » loco « bona Ecclesiae ».

— Suggestum est ut dicatur « competentis auctoritatis licentia » loco « competentis superioris » (omnibus placet).

Can. 44 (can. 1529)

Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in re quae potestati regiminis Ecclesiae subest iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.

— Suggestum est ut dicatur « de negotiis in rebus temporalibus » loco « de contractibus ». Propositio non placet Consultoribus.

— Consultor quidam proponit ut in fine canonis addatur « et firmo praescripto can. 189 (De processibus) », ita ut clare appareat in foro canonico admitti probationem per testes in re contractuali. Hoc modo solvit controversia quae habetur in doctrina utrum scilicet in hac materia sequi debeat lex civilis quae aliquando excludit probationem per testes in re contractuali.

Alter Consultor censent additionem huius clausulae non esse necessariam, quia in can. 189 (De processibus) norma generalissima ponitur, sine ulla exceptione, quod scilicet « probatio per testes in quibuslibet causis admittitur », ergo etiam in causis de contractibus. Alii Consultores autem censent illam additionem esse opportunam, quia etiam in can. 1754

CIC eadem norma generalissima habebatur et tamen controversia aderat in doctrina.

— Suggestum est ut can. 44 collocetur initio huius Tituli, scilicet ante can. 36. Propositio placet Consultoribus.

* * *

Aliquod Organum consultationis proposuit ut repristinentur in novo Codice normae quae prostant in CIC sub cann. 1182, 1183, 1184, 1186, parvis mutationibus inductis.

Unus Consultor accedit huic propositioni, sed alii Consultores sunt contrarii quia illi canones necessarii erant in contextu CIC, quando determinanda erant quae pertinebant ad beneficium et quae aliis finibus erant destinata. Nunc autem, in contextu novi Codicis, totum systema legum de bonis Ecclesiae temporalibus p[ro]ae oculis habet personam iuridicam, quae regitur suis statutis. Iamvero omnia organa quae recensentur in memoratis canonibus CIC (ecclesia cathedralis, ecclesia collegiata, paroecia, consilium fabricae, etc.) sunt vel esse possunt personae iuridicae et ideo etiam pro illis valent normae generales de acquisitione et de administratione bonorum necnon de contractibus.

Adunatio diei 15 novembris 1979

TITULUS V

DE PIIS VOLUNTATIBUS IN GENERE ET DE PIIS FUNDATIONIBUS

Can. 45 (can. 1513)

§ 1. *Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.*

§ 2. *In dispositionibus mortis causa ad causas pias serventur, si fieri possit, solemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint heredes moneri debent de obligatione qua tenentur ex iustitia adimplendi testatoris voluntatem.*

— Suggestum est ut in rubrica (et in textu canonum) non adhibeatur verbum « *pius* » ad qualificandas « *voluntates* » et « *fundationes* », quia tale verbum numquam comparet in canonibus praecedentibus; melius esset dicere « *voluntates in fines Ecclesiae* ».

Propositio non placet Consultoribus, qui magis praeferunt locutionem traditionalem.

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « in bonum Ecclesiae » loco « ad causas pias » (omnibus placet).

— Nonnulli conquesti sunt eo quod in § 2 dicatur obligationem adimplendi testatoris voluntatem heredes tenere « ex iustitia »: quae assertio nimis rigida videtur. Consultores hanc suggestionem recipiunt et concordant ut deleantur verba « ex iustitia ».

Can. 46 (can. 1514)

Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis causa, legitime acceptatae, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 47, § 3.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 47 (can. 1515)

§ 1. *Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos exsecutores sunt.*

§ 2. *Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii exsecutores debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.*

§ 3. *Clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntibus adiectae, tamquam non apposita habeantur.*

— Suggestum est ut facultas de qua in § 1 tribuatur tantum Ordinario loci. Consultoribus vero placet ut normam § 1 valeat etiam pro Ordinariis religiosorum.

— Nonnulli animadverterunt normam § 1 esse nimis onerosam pro Ordinariis. Consultores respondent normam § 1 esse affirmationem principii generalis ex quo consequitur potestas Ordinarii invigilandi ut piae voluntates impleantur et etiam per se ipsum impletionem curandi quando non adsit executor; generatim ergo Episcopo incumbit tantum onus vigilandi, quod non videtur nimis onerosum.

Consultor quidam, ad melius notandam indolem huius principii generalis, proponit ut in § 1 dicatur « ... sunt exsecutores nati »; sed alter Consultor, cui etiam alii assentient, dicit locutionem « executor natus » esse novam in iure canonico, et nullam adesse necessitatem illam introducendi.

Can. 48 (can. 1516)

§ 1. *Clericus itemque sodalis Instituti vitae consecratae qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Ordinarium certiorem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.*

§ 2. *Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro exsecutione piae voluntatis ad normam can. 47.*

§ 3. *Bonis fiduciariis alicui sodali Instituti vitae consecratae commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius de quo in §§ 1, 2, est loci Ordinarius; secus est Moderator Maior in Instituto clericali vitae consecratae, Ordinarius; secus est Moderator Maior in Instituto clericali vitae consecratae, Ordinarius eiusdem sodalis proprius in Instituto laicali vitae consecratae.*

— Aliquis Consultor proponit ut deleantur in § 1 verba « clericus itemque sodalis Instituti vitae consecratae », ita ut norma teneat quoscumque bona ad pias causas acceperint. Propositio omnibus placet.

— Habetur animadversio alicuius Consultoris contra competentiam Ordinarii loci, de qua in § 3, quando bona sint commissa alicui sodali Instituti vitae consecratae pro « piis causis iuvandis ». In tali casu, dicit Consultor, sufficit ut sodalis Instituti vitae consecratae certiorem reddat Ordinarium proprium. Alii Consultores concordant circa opportunitatem ponendi aliquam distinctionem, ita ut restringantur casus competentiae Ordinarii loci. Ad hunc finem plures propositiones habentur novae redactionis. Primus Consultor proponit ut dicatur: « ... si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis piis causis iuvandis ... »; alter Consultor proponit: « ... si quidem bona sint attributa ad pias causas dioecesanis iuvandas ... »; tertius Consultor proponit: « ... si quidem bona sint attributa loco seu dioecesi eorumve incolis aut piis causis iuvandis ... ».

Consultores tandem eligunt propositionem tertii Consultoris.

— Consultores, collatis consiliis, ita secundam partem § 3 mutant: « ... secus est Moderator Maior in Instituto clericali vitae consecratae iuris pontificii, Ordinarius eiusdem sodalis proprius in aliis Institutis vitae consecratae ».

Can. 49 (can. 1544)

§ 1. *Nomine piarum fundationum intelleguntur:*

1º universitates rerum ad fines de quibus in can. 71, § 2 (De Populo Dei) destinatae et a competenti auctoritate ecclesiastica in personam iuridicam erectae (piae fundationes autonomae);

2º bona temporalia alicui personae iuridicae publicae quoquo modo data cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi aliasque praefinitas functiones ecclesiasticas peragendi, aut fines de quibus in can. 71, § 2 (De Populo Dei) aliter persequendi (piae fundationes non autonomae).

§ 2. *Si pia fundatio non autonoma in diuturnum tempus constituta sit, eius bona debent, expleto tempore, ad institutum de quo in can. 16, § 1 destinari, nisi alia fuerit fundatoris voluntas expresse manifestata.*

— Consultores, suggestionem cuiusdam Organi consultationis recipientes, ita redactionem § 1 mutant:

« § 1. *Nomine piarum fundationum in iure veniunt:*

- 1) *piae fundationes autonomae*, scilicet universitates rerum ...
- 2) *piae fundationes non autonomae*, scilicet bona temporalia ... ».

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1, n. 2, dicatur: « ... alicui personae iuridicae sive publicae sive privatae quoquo modo ... ».

Fit suffragatio an placeat haec propositio: placet 2 - non placet 3.

— Plures suggesserunt ut non admittantur onera « in perpetuum », de quibus in § 1, n. 2, quia conditions hodiernae oeconomiae tales sunt ut difficulter redditus stabiles haberi possint ad onera *in perpetuum* implenda. Consultores omnes, uno tantum excepto, hanc suggestionem recipiunt et approbant.

— Nonnulli animadverterunt normam § 2 esse contra *prae*s*umptio*n*e*m** normam quae communiter habetur circa voluntatem testatoris, ipsum scilicet destinare velle illa bona in favorem personae moralis cui pia fundatio adnexa est.

De sententia Consultorum talis *prae*s*umptio*n*e*m** iam non habebitur postquam *prae*s*ens* lex promulgata fuerit.

— Suggestum est ut norma § 2 non valeat quando bona piae fundationis concreta fuerint alicui Instituto vitae consecratae, quia sodales Institutorum vitae consecratae non fruuntur erogationibus massae communis dioecesanae. Unus Consultor accedit huic suggestioni et deinde, post brevem discussionem, etiam alii Consultores accedunt.

— Cum in canone onera ad diuturnum tantum tempus admittantur,

Consultores novam redactionem § 2 curant. Formula ita erit: « Bona piae fundationis non autonomae debent, expleto tempore, ad institutum de quo in can. 18 bis, § 1 destinari, nisi alia fuerit fundatoris voluntas expresse manifestata aut bona concredata fuerint Instituto vitae consecratae ».

Can. 50 (can. 1545)

Iuris particularis est definire conditiones sine quibus piae fundationes constitui vel acceptari nequeunt.

— De hoc canone nulla facta est animadversio.

Can. 51 (can. 1546)

Ut fundatio a persona iuridica valide acceptari possit, requiritur licentia Ordinarii in scriptis data, qui eam ne praebeat antequam legitime compererit personam iuridicam tum novo oneri suscipiendo, tum iam susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut reditus omnino respondeat oneribus adiunctis secundum cuiusque loci vel regionis morem.

— Suggestum est ut requiratur licentia Ordinarii loci ad acceptandam fundationem. Consultoribus vero non videtur opportunum ut talis facultas reservetur Ordinario loci.

— Nonnulli proposuerunt ut addatur in canone « ... reditus omnino respondeant, etiam pro futuro, oneribus ... ».

Propositio haec non placet Consultoribus, quia haec cautio multas praebet difficultates.

Can. 52 (can. 1547)

Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab Ordinario approbando deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium premium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii iudicium, auditis et iis quorum interest et proprio a rebus oeconomicis Consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris.

Can. 53 (can. 1548)

§ 1. *Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur.*

§ 2. *Alterum tabularum exemplar in Curiae archivo, alterum in archivo personae iuridicae, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur.*

Can. 54 (can. 1549)

§ 1. *Servatis praescriptis cann. 46-48 et can. 31, onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem ecclesiae vel instituti in loco tuto servetur.*

§ 2. *Praeter librum de quo in can. 128, § 1 (De Sacramentis), alter liber retineatur et apud eundem rectorem servetur, in quo singula onera eorumque implementum et eleemosynae adnotentur.*

De his canonibus factae non sunt animadversiones.

Can. 55 (can. 1517; Pastorale Munus, 11-12)

§ 1. *Reductio onerum Missarum generatim reservatur Sedi Apostolicae.*

§ 2. *Si vero in tabulis fundationum id expresse caveatur, Ordinarius ob imminutos reditus onera Missarum reducere valet.*

§ 3. *Episcopis dioecesanis, aliisque in iure ipsis aequiparatis, competit iure facultas reducendi ob diminutionem reddituum, quamdiu causa perduret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas legatorum, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.*

§ 4. *Iisdem iure competit facultas reducendi onera seu legata Missarum gravantium beneficia aliave instituta ecclesiastica, si reditus beneficii aut instituti insufficientes evaserint ad honestam beneficiarii sustentationem et ad implenda opera sacri ministerii forte beneficio adnexa, vel ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum.*

§ 5. *Iisdem facultatibus de quibus in §§ 3 et 4 gaudent Supremi Moderatores Institutorum clericalium vitae consecratae iuris pontificii.*

§ 6. *Facultates in §§ 3, 4 comprehensas Episcopi delegare non valent nisi Coadiutori, Auxiliaribus, Vicariis Episcopalibus et Vicario Generali; Vicarii autem ac Praefecti Apostolici suo tantum Vicario Delegato.*

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1 resumatur conditio quae habetur in can. 1517 CIC, ut scilicet reductio fiat ex iusta tantum et necessaria causa. Propositio haec omnibus placet.

— Nonnulli suggesserunt ut deleatur e § 1 verbum « generatim ». Propositio placet Consultoribus qui deinde canonem ita redigunt: « Reductio onerum Missarum, ex iusta tantum et necessaria causa facienda, reservatur Sedi Apostolicae, salvis praescriptis qui sequuntur ».

— Expungi debet e § 2 verbum « vero ».

— Suggestum est ut tribuatur Episcopis facultas reducendi Missas quoque manuales. Sed Consultores censem in hac materia melius esse ad S. Sedem recurrere ut vitentur abusus.

— Nonnullis superflua videntur verba « aliisque in iure ipsis aequi-paratis », quae prostant in § 3, quia sufficit principium generale de aequi-paratione in can. 233 § 2 (De Populo Dei) statuta. Consultores concordant.

— De sententia cuiusdam Organi consultationis non recta videtur locutio « competit iure facultas », quae habetur in § 3. Consultores concordant ut deleatur verbum « iure ».

— Attento canone de suppressione beneficiorum, Consultores ita § 4 redigunt: « Iisdem competit facultas reducendi onera seu legata Missarum gravantia instituta ecclesiastica, si reditus insufficientes evaserint ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum ».

— Suggestum est ut § 6 deleatur, cum non adsint rationes sufficientes ut limitetur facultas Episcopi delegandi facultates circa hanc materiam. Propositio haec omnibus placet.

Can. 56 (novus; cf. M. P. Firma in traditione, d. 13-6-1974)

Iisdem auctoritatibus de quibus in can. 55 facultas insuper competit transferendi, congrua de causa, onera Missarum in dies, ecclesias vel altaria diversa ab illis, quae in fundationibus sunt statuta.

— Suggestum est ut addantur verba « ... congrua de causa eademque perdurante, onera ... ». Propositio non placet Consultoribus, quia cessante causa, cessat ratio translationis, quod obvium videtur.

Can. 57 (novus)

§ 1. Firmis praescriptis can. 55, ultimarum voluntatum in pias causas reductio, moderatio, commutatio, siquidem fundator potestatem hanc Ordinario expresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa.

§ 2. Si exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius, auditis iis quorum interest et proprio Consilio a rebus oeconomicis atque servata, meliori quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aequa imminuere. In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur.

§ 3. In ceteris casibus recurrentum est ad Sedem Apostolicam.

— Suggestum est ut dicatur « fidelium voluntatum » loco « ultimarum voluntatum » (omnibus placet).

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « si » loco « siquidem » (omnibus placet).

— Nonnulli suggesserunt ut in § 2 excipietur reductio Missarum, quae competit Sedi Apostolicae. Consultores respondent huic suggestioni provisum esse per clausulam quae habetur in initio canonis, scilicet: « firmis praescriptis can. 55 ». Tamen, proponente aliquo Consultore opportunum videtur ut res clarior evadat, mutando redactionem canonis hoc modo: in § 1 supprimi potest clausula « firmis praescriptis can. 55 », quia facultates de quibus in § 1 pendent a voluntate fundatoris. Eadem clausula autem inseri debet in § 2. Alii Consultores concordant et ideo § 2 ita mutatur: « Si exsecutio onerum ... Ordinarius ... poterit eadem onera aequa imminuere, excepta Missarum reductione, quae praescriptis can. 55 regitur ... ».

— De sententia alicuius Consultoris deleri possunt e § 2 ultima verba: « In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur ». Haec provisio enim remittit iudicium eidem Ordinario qui potestatem habet reducendi onera: quod superfluum videtur quia qui habet potestatem aliquid faciendi, non potest hoc facere quin iudicet etiam in casu dubii quid faciendum sit. Res diverse se haberet si iudicium reservaretur alii personae quam Ordinario. Alii Consultores concordant ut deleantur illa verba.

* * *

— Suggestum est ab aliquo Organo consultationis ut repristinentur hic cann. 1489 et 1491 CIC, nonnullis mutationibus inductis.

Consultores respondent provisiones circa materiam illorum canonum haberi in aliis partibus novi Codicis (F. Voto, *Actuarius*).

